

## **Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia**

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis  
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium  
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quois anni tempore habendarum  
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed  
Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

**Drexel, Jeremias**

**Antverpiæ, 1643**

Cap. IV. E Danielis verbis triplex monitum: 1. Sapientiam à Deo  
postulandam, 2. In rebus agendis non præcipitandum. 3. Efficienter  
consummandum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77031](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77031)

# Daniel. Caput III.

552

Somnia, & exciderunt sperantes in illis. Somnia extollunt imprudentes; quas qui apprehendit umbram, & persecutur ventum, sic qui attendit ad visa mendacia. Visitata sed magna fatuus est, somnio habere fidem. Somniat quis se fore Praesulem, purpuratum Patrem, potensimum Regem, Summum Pontificem. Sed manè deprehendit somnum, & imaginis fallacem, somniat pauper rusticus arcas auro refertas, sed cum evigilat, crumenam reperit inaniis & arancis plenam. Hic Senecam tragediam operam cantantem:

*Somniare incho-  
ro Herculis  
furemis.*

Túque ó domitor somni malorum,  
Requies animi, pars humanae melior vite:  
Veris misericors falsa, futuri  
Certus, & idem pessimus auctor.

*Laert. l. 6.*

Somnia phantasiae idola sunt, cur adorem illa? somnia fugienti vento, umbræ vanescunt simillima, cur apprehendat ea? Umbris terrentur pueri, somnis decipiuntur homines validi creduli. Non vanè Diogenes dixit. *Quae vigilantes agitis, ea non curatis; qua vero dormientes somniatis, sollicitè perquiritis.* Perinde si dixisset: *Vos potius quid vigilantes recte perperamē committatis attendite, non quid somniantes.* Nec vanum Poëta monitum est:

*Somnia ne tures: nam mens humana quod optat  
Dum vigilat, sperat.*

Ad rem Comicus: Cùm Dij nobis, inquit, somnum dederint curarum & laborum delinquentium, superstitionis sibi illum reddit carnicinam, & tormentum. Eruditè dixit Heraclites: *Vigilantibus communis & unus est mundus; sopiti in suum quisque discedimus.* At superstitione ne vigilans quidem communis cum alijs mundo fruatur, cogitatione cōp̄er somniant. Hinc Plato: *Spes mortalium, ajebat, somnia sunt vigilantium, plerumque inania & falsa.* Divini libri sanè, cùm quidam instabile, fugax, vanum, fallax notant, somnio id comparant. Ergo somnia pleraque omnia velut inania cibili facienda.

## III.

*Somniare sancta, san-  
ctitatis est  
argumen-  
tum.*

*Laert. l. 1.  
cap. 5.*

**N**ihilominus hoc loco non omittendum, quod profani & sacri scriptores tradunt, somniare sancta, sanctitatis esse argumentum. Non imperie affirmabat Zeno, & suis quenque insomniis posse deprehendere, quantum in philosophia proscisceret, si in eis nihil nefarum rei faceret, vel appeteret. Tunc enim animum in profundâ tranquillitate constitutum versus effectus prodere, indeque fieri, ut quae vigilantes agere, aut profari non audent, ea nec noctu in somnis occurrant. Eiusdè animi Plutarchus censuit virtutis esse, de virtute somniare. *Quemadmodum enim corporis affectiones, ita & animi possunt deprehendi ex insomniis.* Etenim quae cogitamus & agimus interdiu, somniamus noctu scilicet amata recurrent. *Ariß. 10. 7.*

*fest. 30. pro-  
blem. fine,  
pag. 629.*

Quod Aristoteles multò locupletissimus testis eximie confirmans: *Qui instruti virtutibus sunt, inquit, meliora somnia vident, quod etiam vigilantes meliora anima vertunt;* qui deterius animo vel corpore affecti sunt, deteriora concipiunt, quippe cum etiam affectio corporis facit ad somni visionem.

*Cui nulla unquam libido placuit, nullas unquam libidines sibi placuisse, bono sit animo, non facile unquam somniabit, quod castimoniae decreta violet, quod pudicitia adveretur. Et quamvis aliud immundioris somni objiciatur, ille dectera & tamen repugnat, & velut vigilans sordes illas conabitur excutere.* Ea vis est diuturna affuetudinis. Ita optimi est argumenti nunquam ea somniare, quae si fierent, letale crimen essent. Nimirum meliora vident somnia, quod Aristoteles dixit, qui virtutibus sunt instructi. Franciscus Xaverius, magis Orientis lumen, cùm Gozageret, Petro Iarrico teste, totas saepe no-

**A**etas inter suavissima cum Deo colloquia exegit, quotidianus & status illi somnus non duas horas excedit, cùm largissime quievit, tribus horis dormit. Hic sapientie auditus est loqui somnians, nec alias effere voces, quām istas: ô DEVS cordis mei, ô creator & Domine, ô bone IESU &c. Hęc somniantis dicta facilè prouedebant, quis animo federet infixus amor. Nempe actio bona h̄i sit frequentata, sibi similem bonam parit consuetudinem.

Sed tertio loco ad rem erit querere: cursua Deus Trinitas arcana in somno pandat? Cauſarum satis. Hinc 1. *Deus cuius-  
cūm non omnem homini scientiam auferri à mor-  
te: Homo sapore pressus, mortuo simillimus, membris  
omnibus otiosis, & tamen aliqua pars animi multa in-  
terior cognoscit, videt, audit, gustat, odoratur, tangit.*

Hinc etiam liquet non omnes scientias sensuum ad-  
minicula & ratiocinatione obtineri. 2. *Hinc summa Scientia  
Dei potentia perspicitur; homo hominē docere non  
potest, nisi vigilantem, audientem, auscultantem, at  
vero Deus etiam dormientem erudit. 3. Cūm vigila-  
mus, plerumque animo parum praesentes sumus: sen-  
sus licenter evagantur, curæ, negotia, & inquietus circa  
nos plurima ita hominem subimper surrepiunt, ut raro  
totus apud se, & domi sua sit. Frequenter possit que-  
rer *Cvbi es?* Atqui Deus cum solo solus vult loqui, idq; alto silentio, cùm homo sensus continet quietos, cùm animo collectissimus, cùm revera apud h̄e est, quod  
fanè fit in somno, cùm exteriores sensus ab omni va-  
cant actione. Atq; hinc eruditur, quā ratione Deus  
nos secum loqui cupiat, cùm preces funimus, Chi-  
sti preceptio est: *Tu autem cūm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora parrem tuum in abscondito.**

Collige dissipatas cogitationes, turbas omnes, & cu-  
ras expelle à te, rēmove quidquid precantem impe-  
dire potest, solum te adiri patere, animo fac sis pre-  
sentissimo, tunc maximè domi esto & apud te, atten-  
tissimum precare. Intra in cubiculum tuum, intra, intra,  
& clade oscium. Deus deliciatus hospes est, silentiu  
sui hospitij & quietem amat, cogitationum tumultus  
maxime averatur. Omni ergo cogitatione, curāgo  
in hanc orandi curam incumbit; omnibus facultati-  
bus hoc age, ut cum Deo, prout decet, loquaris. Ex  
omnibus usque opibus viribusque nitere, ut attenus  
ores. Digna res est, ubi tu neruos intendas omnes.  
Huc intelligentiam, huc voluntatem, huc omnem me-  
moriā confer. Hac obnoxia totaque mente facienda  
sunt. Colloquiis divinis recte instituendis summum  
studium, vigilantiam maximam impende. Hic omnis  
labor utilissime collocatur. Verbo dicam: Vt sunt  
edones, & bibones, qui toti manducant, toti potant, ita  
totus ora. Hoc sapiens & dulce est somniū vigilantis.

## C A P V T I V .

**E** Danielis verbis triplex monitū. 1. *Sapientiam  
à Deo postulandam.* 2. *In rebus agendis non  
præcipitandum.* 3. *Efficienter consummandū.*

**D**ANIEL re non solum maturè deliberat, sed etiam cum sociis eo fine communicat, ut que-  
rent misericordiam à facie Dei celi super sacramen-  
to isto, & non perirent cum ceteris sapientibus Baby-  
lonis. Tunc Danieli mysterium per visionem nocte revelatum  
est: & benedixit Daniel Deum celi, & locutus, air. Sit nomen tuum  
Domini benedictum à seculo, & usque in seculum, quia sapien-  
tia & fortitudo ejus sunt. Et ipse mutat tempora & etates,  
transfert regna acque constituit: dat sapientiam sapientibus,  
& scientiam intelligentibus disciplinam. Ipse revelat profunda  
& abscondita: & novit in tenebris constituta: & lux cum eo  
est. Tibi Deus patrum meorum confiteor, tēq; laudo, quia sa-  
pientiam & fortitudinem dedisti mihi, & nunc ostendisti mihi,  
que

# Daniel. Caput IV.

553

**Monita:** quia sermonem regis aperiusisti nobis. Hic tria libi connexa sunt. 1. Sapientia à Deo postulanda. 2. Consilia non præcipitanda. 3. Quod decretum, efficaciter consummandum. De isthoc triplici saluberrimo monito, nunc pluribus agendum.

S. I.

**P**rimum, Sapientiam à Deo postula. Quod discipulus Domini Jacobus submonens: *Si quis vestrum inquit, indiget sapientiam, postule a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improverat, & dabit ei.* Sapientia est cognitio finis & actionum mediarium ad finem atque secundum. Deus sapientiae fons est, qui æterna, prima, immensa sapientia est. Ex isto fonte tam Angeli quam homines, & creatæ res omnes, pro suo quaque modulo & capacitate haurient. Ex hoc manu hauri & Salomon, cuius petitio Numini valde placuit. Hinc illud è celo testimonium: *Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies mulos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum, ut nullus ante te similius tibi fuerit, ne post te surreatur sit. Sed & hec non postulasti, dedi tibi, divitias sci- luet & gloriam.* Jam olim divina pagina testantur: *Per sapientiam sanati sunt, quicunque plauerunt tibi, Domine à principio. Quoniam sapientia aperit os mutorum, & linguas infans fecit disertas.* Verissimum dixit Daniel: *Sapientia & fortitudo ejus sunt.* Hinc jure meritissimo ab eo petenda sunt.

**I. Ignatius** Beatus Ignatius minima Sociedad conditor, eruditio nem & sapientiam à Deo hauriendam non ignorans, hanc suis legem scripsit: *Omnis in virtutum solidarum studium incumbant: ac in hujusmodi majus momen tum, quam in doctrinâ, vel aliis donis naturalibus & humanis constitutum esse ducant. Illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare oportet. Hoc Christianis omnibus, palatio compri mis famulitio inculcandum: Mi optime Domine, si grandescere velis, & ditari, certissimò scias id tu solus induxit minimè obtainendum, aut dives nunquam eris, aut eris tua damno, si velis esse opulentus sine Deo. Ita famulorum cuivis alte imprimendum: Si captare volup tates hominum emolumento tuo, si oculus solum cui Domini servire, gratiam illius acupari, & obedire tamè tempori velis splendidus captator, noris te actum agere, aut enim male servies, aut noxiom tibi gratiam emereberis, nisi ante omnia divinos oculos observes. Omnis sapientia, & recte famulandi facultas à Deo est. Ab hoc Domino hac postula, aut incassum te continetur fatigari.*

**B. Antonius** Beatus Antonius videri poterat illiteratus, rufus, & omnis sapientia expers, sed divo Athanasio teste, puden tes, ingeniosus, & revera sapiens fuit, tametsi litteras non didicerit, nec ullas Academias frequentarit. Ad hunc quandoque philosophi ventitarunt arbitrati bonum senem eruditæ verborum pompa irreducendum facillimè, & fallendum. At sapiens iste Anachoreta, nervo eos dilemante constringens: Si ad stultum, inquit, venis, vana est vestra itio; si prudentem me putaris, imitamini quod probatis, & estote, quod ego sum, Christiani. *Sapientia & fortitudo ejus sunt.* A Deo postula, quisquis indiget sapientiam.

**A. D. & S. Ambro-** Paulinus de Ambroso Mediolanensi Pontifice te statutus: Cùm, inquit, quadragesimi tertii psalmi dictare interpretationem, me vidente & dictata excipiente, subito delapsus ignis in modum brevioris scuri caput illius operuit, ac paullatim per os Ambrosii, tanquam in domo notus habitator est ingressus. Exinde tota ejus facies exalbuit nivem æmulata.

**R. Tuitiensis** Rupertus Tuitiensis Abbas interrogatus, ubi eam huiusmodi eruditioem, quæ conareretur Evangelium in

A luce ponere, & commentarios in illud scribere? Ad quæ ille: Hoc, inquir, profiteor, quia visitatio ab Altissimo mihi melior quam decem, quam in centum magistri. Si quis indiget sapientiam, postule eam à Deo. *Sapientia & fortitudo ejus sunt.* Thomas Aquinas Theologorum Phœbus planissimè professus, se quidquid habet scientia, id omne precondo potius à superis, quam lebitando è libris lausisse. Deus sapientiae fons est: hic hauriendum.

Beatus Ephrem, Gregorio Nysseno teste, precari so lo Ephrem, lebat: Largire Domine, flumina tua gratia. Largitus est. Nam ei species cœlestium oblata, quæ fibi virtus liberatur ab Angelis accipere. Uti tamen humana omnia imperfecta, ita sapientiam quidem à Deo accepit Ephrem, ita tamen ut verborum fontes, rebus, quas mente conceperat, explicandis, pares nequaque el sent. Animo divina complecti poterat, eloqui non poterat. Ita solet Deus non uni simul dare omnia, ut praesentis ac securæ vitæ sit differentia.

Equitius, vir admodum religiosus, quod Gregorius Equitius, Magnus narrat, nondum iniciatus sacræ ad concionationis impigerimè solebat excurrere. Hunc Felix homo nobilis, è Nursinā provincia familiari ausu interrogans: Quis sit, aiebat, ò Equiti, cùm ad Acedorii ordinis nondum electus sis, publicè tamen è cathedrâ docere audeas? Ad ista Equitius modestè: Non indignor, inquit, interrogationi: Verum, quod sine jaçantiâ dixerim, nocte quadam venusti oris juvenis mihi assistere videbatur, & linguam meam calpro chirurgico contingere, unaque dicere: Ecce posui verba mea in ore tuo; egedere ad docenda Evangelia. Ex eo die, etiam cum voluero, de Deo tacere non possum. *Omnis sapientia à Domino Deo est.*

Justinus, nobilis Philosophus, illustris Martyr, Ia- Justinius logo adversus Triphonem de se ipso: Academias omnes, inquit, lustravi, sed quod quæsti, non inveni. Tan-

C dem ignotus senex familiarius ad me accedens: Et tu, mi juvenis, aiebat, si quidem exquisitissimam doctrinam sitias, ante omnia divina lucis portas votis precibus tibi postules reserari. Illac penetranti licebit scientiam sitim explore. Explavit certè. Nam ad Christi sacra traductus, libris, quos scripsit, insignem sapientiam ostendit. *Omnis sapientia à Domino Deo est.*

Beatus Trudo illustri profapiâ natus in Belgio, ingeniis favit, eruditioem præteritis sacram amavit, divinas litteras ardenter cupit condiscere. Hinc Deo nuncupavit votum, ut si sacra biblia cognitione ac scientiâ compreenderet, templum à se in agro suo condendum. Tam aqua poscenti adiutit è celo felix nuntius, qui diceret: Exaudita est oratio tua. Deus sapientia cor tuum imbuit, & legem suam inscriber peccatori tuo. Si quis indiget sapientiam, (Ecquis non indiget?) à Deo inan postulet & dabitur ei. *Omnis sapientia à Domino Deo est.*

S. II.

2. Ne præcipita.

**A** Litterum monitum. Ne præcipita. Quam præcep s. Nabichodonosor in damnandis ad supplicium sapientibus, tam consideriter Daniel in exponendo Nabuchodonosoris somnio. Nam, quod sacer historicus af firmit, Daniel ingressus rogavit regem, ut tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi. Ne videri possit tenuiter ac nugatoria respondere. Responsum non morosè distulit, nec illud tamen deproperandum censuit. Ad ista talia raptim respondere, plerumque est imperitè garris. Non igitur præcipita, quæ deliberandi moram exigunt. Omnia in ore tritissimum verbum submonet. Festina, sed lente.

De Olea & Cucurbita, quod Apologus vetus recitat, & Cucurbita apolo gus, unà succrescebat; olea lenitissimo, cucurbita celerissimo incremento assurgebat festinatum germen, sed hyeme proximâ.

Aaa

proximâ succum & vitâ omnem perdidit. Hinc oleæ sapiens cavillus. Non est invidendum tam cito crescentibus, quibus aratus est tam celer interitus.

*Plutarc. 20.  
1. moral. de  
secretis  
regum &  
Impp. mibi  
pag. 370.*

Athenodorus Philosophus ab Augusto Imperatore veniam redeundi domum petuit, exculans senium, quod minus reliquum vitæ curis aulicis impenderet. Non negavit Imperator. Ita supremum ræle sapiens senex dicitur, hæc verba procul: Cùm ita sceris, Auguste, nihil antè vel differis, vel feceris, quām tecum viginti quatuor orationis Græca elementa repeteris. Augustus Athenedori dextrâ familiariter prehensâ: Etiānum, inquit, tuā præsentia mihi opus est. Sic annum porrò integrum præceptorem hunc secum detinuit. Consuluit sibi Augustus; & promptè didicit non præcipitare.

*Baron. An-  
nal. Eccl.  
anno 390.  
& ex eo Spō-  
danus anno  
eodem.*

Theodosius Imperator, quod auri millions potius expendere debuisset, quām monitum illud negligere? Nota clades, quam Thessalonicae attulit præcipitania illius Cæsar. Thessalonicenses Cæsareum bellum ducem obtruncarunt, quod captivum, quem postulaverant, vinculis reuolaserem emittere. Imperator ita præcipiti exadscens in plebem Circensis intentam armatos immisit, qui ob suum quæcumque jugularent, nocens, innocens civis, peregrinus, Tros, Rutulûsve fuit, nullo crimine haberent. Ita trium horarum spatio septem millia hominum sunt caesa. Factum Ambrosius principiò severioribus litteris castigavit, dein ipsum Imperatorem Theodosium publicè ab ingressu templi repulit, & Ecclesiæ communione indignum pronuntiavit, quo usque illum post octo mensium publicam peccnitiam die Nascentis Domini Iesu in templum admisit. Sed eidem hoc insuper injunxit, ut legem figeret, quā deinceps executiones sententiarum, de cæde, ac publicandis bonis, tringita dies differentur, ut eo temporis decursu res exquisitiū examinari possent. Ne præcipita.

*Tacit. 1. 3.  
Annal.  
Livius De-  
cad. 3. l. 2.  
Dan. c. 2. v.  
12. & 13.*

Quanti fatentur ultro in maxima si gamma incurrisse præcipitando. Hinc crebro illas voces audias: Me millies peccnit, quod imprudenter dixi, quod præcipitante feci. Non est sui compos præcipitania; expers consilii est incognitus festinatio. Nimirum, ut vetus est est verbum: Canis festinans cæcos parit catulos. Nil boni sit, cùm præcipitatio & furor actionis duces sunt. Quod prudenter Tacitus advertens: Festinatio, inquit, multos etiam bonus pessimum dedit, dum tardam securitatem spernunt, & prematura vel cum exitio properant. Festinatio improvida est & cœca. Qui nimium properat, serius absolvit. Videite Babylonum Monarcham Nabuchodonosorem, de quo sacra pagina: Rex in furore & in irâ magnâ, præcepit, ut perirent omnes sapientes. Et egressâ sententiâ sapientes interficiebantur, qnerebatq[ue] Daniel, & socii ejus, ut perirent. Ne præcipita, quæso, ne præcipita, aut præcipitaberis. Non tan[ta] celeritas instituenda rei quām cura est adhibenda. Si res exigat, festina, sed lente.

### §. III.

*3. Efficien-  
ter con-  
summa.  
★ Alauda.  
Gell. 1. 2.  
Noz. Attic.  
c. 29. mibi  
pag. 104.  
Apologus  
ad eos qui  
apud an-  
imum san-  
ctè decer-  
nunt, & ni-  
hil faciunt.*

Terrium monitum. Efficienter consumma. Apologum trans Gellius ad rem apotissimum: Cassita, \* inquit, in segeribus nidulatur id ferme temporis, ut appetat messis pullis jam jam plumantibus. Hæc avicula in fementes fortè concesserat tempestiviores; propterea frumentis flavescentibus pulli eriam tunc involucres erant. Cùm igit ipsa ret cibum pullis quæsiuum, monet eos, ut si quid ibi rei novæ fieret, diceretur, animadverterentur; idque uti sibi, ubi redisset, puntarent. Dominus postea segetum illatum filium adolescentem vocat, &; Vidēsne, inquit, hæc ematuruisse, & manus jam postulare; idcirco die crastinâ, ubi primum dilucubabat fac amicos aedes, & roges veniant, operâaque mutuam dent, & messem hanc nobis adjuvent. Hæc ubi ille dixit, discessit. At ubi rediit cassita, pulli trepiduli circumstrepere, oraréque manum, ut statim jam properet, atque alium in locum sele asportet: Nam Do-

A minus, inquiunt, misit, qui amicos rogaret, ut luce oriente veniant, & metant. Mater jubet eos à metu otiosos esse. Si enim Dominus, inquit, messem ad amicos rejicit, crastino seges non metetur; neque necesse est hodie ut vos auferam. Die igitur postero mater in pabulum volat. Dominus, quos rogaverat, operit, sol fervet, & fit nihil: & amici nulli erant. Tum illæ rufum ad filium: Amici isti, inquit, magnam partem cestores sunt, quām portis imus, & cognatos, affinesque, & vicinos nostros oramus, ut adhinc cras tempore ad metendum: itidem hoc pulli pavescati matri nuntiant. Mater horatur, ut tunc quoque sine metu, ac sine curâ sint; cognatos affinesque nullos ferme tam esse obsequibilis, ut ad laborem capessendum evocentur, & statim dicto obediant: Vos modò, inquit, adverte, si modò quid denuo dicetur. Aliâ luce ortâ avis in pastum profecta est; cognati & affines operam, quam dare rogari sunt, supercedent: ad postrem igitur Dominus filio: Vaneant, inquit, amici cum propinquis, afferes primâ luce falces duas. Unam egomet mihi, & tu tibi capies alteram, & frumentum nostrum ipsi manibus nostris cras metemus. Id ubi ex pullis dixisse dominum mater audiuit: Tempus, inquit, est cedendi & abeundi; siet nunc dubio procul quod futurum dixit; in ipso enim iam videntur, cuja res est; non in alio, unde petitur. Atque ita cassita ridens migravit, seges à domino demessa est. O quoties apud animum nostrum sanctè decernimus, ea precatiros, ea largituros in stipem; & fit nihil. Quoties in Castimonia, & pudicitia leges jurapanus castores mores polliciti, & fit nihil. Quoties emendationem virtutis seriana proponimus; & fit nihil. Quanta in cuius, quanta in cætibus aliis ad rem maximè factura statuuntur; & fit nihil. Quām anima saepe confusa militia in hostem ineuntur, & fit nihil. Quām generosi nonnunquam conatus, quām præclaræ ubique cœpta fervent, demum fit nihil. Eximia igitur laudis est de aliquo dici: Novitus hunc virum; ubi ceperit, non cessat, dum efficienter fistat, quod ceperit. Quidquid operis sumit, laborat; extrema persegitur. Non inceptor solum, sed & conceptor est, actionibus suis ultimam imponit manum. Hoc reverâ indolis est divinæ. Nam Deus agit, & fit fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Si quis intelligat: Hoc æquum, hoc decens, hoc necessarium; ipse apud animum suum statuat: Hoc igitur agamus, & efficienter conficiamus. Laudis est non inceps bene, sed finiisse; si ceperit est affer terebrati, perfora, quantumvis crassus & nodosus sit. Orlus es opus pertunde pressu, & cepta confice.

Daniel vide. Propositus Daniel in corde suo, ne pellat, retur a mensâ regis. Multa hinc obstant optimis conatus. Nihil videbatur hinc obtinendum adversus tot tremoras. Nihilominus Daniel in rationibus pugnavit, eoque rem deduxit, ut efficienter, quod ceperat consummarit. Pari modo cum somnium Nabuchodonosorum non protinus explicare posset, ingressus est domum suum, Ananiag, & Mysaeli, & Azaria & socii suis indicavit negotium, ut quererent misericordiam à facie Dei celi super sacramento isto. Efficienter consummat.

Hoc ergo monitum triplex conjungendum. 1. Sapientiam à Deo postula: ad fores hujus Domini pulsâ. Sapientiam à Deo postule, qui illa indigeret, postule autem in fide, luctu nihil habitan. 2. Ne precipita, aut in obvium rues præcipitum. Petrus Aldobrandinus senatus purpuratus dicens solebat: Cùm temporis urget angustia, non accelerandum est, sed maturandum. 3. Efficienter consumma: Attinge à fine usque ad finem fortiter, operi bene cepto incumbe, perfice, finem adde. Non qui decorè ceperit, sed qui præclarè finit, sponsum certanti præmium obtinebit.

CAPUT